



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Pugio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

PUGIONES. CAP. LXXXVII.

Quaerit aliquis, quid in numis Bruti pugiones duo significant, adiecto pileo. Sed quoniam inter vestimenta, ubi de pileo agitur, explicatum est ex Dione, pugiones eadem, pileum vero Libertatem significare, proindeque ex numo illo, Brutum & Cassium per eadem patratam patriae liberatores indicari, non esse haec duximus ulterius repetenda.

DE CASTRIS. CAP. LXXXVIII.

Inter castrensia ornamenta honoresque, inuenias plerisque locis non tantum signa, verum etiam & arcas pullarias, & castrorum ipsorum modulos, & signorum tum loculos & coronas, quae quoniam observatione digna sunt, & eruditis jucunda, minime gravatus sum quaedam subtexere: qualia uno marmore apud Paulum Cardinalem Caesum animadverti.

*Castrorum
descriptio
antiqua.*

Castra quidem huiusmodi quam adpinximus contignatione fabricata erant, tignis octo pro parte qualibet ita compactis, ut tribus quaque locis in transversum conferta, clavis sive fibulis leonina capita praeseferentibus jungerentur: quorum quidem clavorum hieroglyphicum in primis erat, ut in Leone suo loco dictum: *Vigilandum esse*. Supra huiusmodi castrorum speciem capita duo adsculpta erant, velo quodam a dextro usque in laevum protento, & superinsidente. Supra utrumque caput singulae laeuae. A castrorum angulis, inferiore parte, loculi duo, unus hinc, inde alter, qui quadrata forma, intus vacui, in acutam cuspidem desinebant. Hi terrae impungebantur pro theca, mox signi pars ima in eum inferebatur. Ibidem erat & pullaria cavea cum duobus pullis pascentibus: inter quam & castra signum Aquilae conto praefixum. Idque manifeste ostendit, qua ratione fieret, cum exemptus loculo contus suspensus videatur, loculo vacuo apparente. A lateribus longissimi conti duo, signis, praemiis, & gestaminibus militaribus instructi, in quorum summo cuspis ad loculorum formam, ima pars ferro praemunita, capulisque praedita, ut commode fisti & avelli possent. Sed jam & inscriptionem harum rerum indicem, & faciem ipsam marmoris representemus.